SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPAE SEXTI

L I T T E R A E,

QUIBUS CONCEDUNTUR

F A C U L T A T E S

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS,

AC DIOECESIUM ADMINISTRATORIBUS

REGNI GALLIARUM



ROMAE MDCCXCII.

TYPIS REV. CAMERAE APOSTOLICAE

Digitized by Google

Digitized by Google

Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus,
et Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis,
ac Dilectis Filiis Dioecesium Administratoribus
REGNI GALLIARUM

PIUS PP. VI.

Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii,
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

IN gravissimis, et multiplicibus curis, quas pro commissa Nobis a Supremo Pastorum Principe JESU CHRISTO omnium Ecclesiarum sollicitudine assiduè sustinemus periculosis hisce temporibus, quibus multi nimis ex eorum numero esse videntur, quos praenunciavit Apostolus, *qui sanam doctrinam non sustinent, et ad sua desideria coacervantes sibi Magistros, a veritate auditum avertunt*, non aliud profecto majus neque jucundius experimur solatium, quam cum Venerabiles Fratres Episcopos, qui in ejusdem sollicitudinis Nostrae partem vocati sunt, ad exequendum Officii sui debitum alacri strenuoque animo incumbere novimus, ac diligentissimè curare, ut Gregis ipsis crediti saluti opportuniori, qua fieri potest, ratione consulant. Ejusmodi verò solatio nuper praeter modum affecti sumus, cum litteras perlegimus omni officio refertas, quas *die 16. Decembris* Anni superioris plures Fraternitatum Vestrarum *Parisiis* degentes, et quas *die 8. Januarii* currentis Anni ii earumdem Fraternitatum Vestrarum, qui *Romae* commorantur, ad Nos conscripserunt. Ex iis enim cognovimus, postulari a Nobis, ut singulos ejus Galliarum Regni Antistites, ac Dioecesium Administratores tempore, quo Episcopales Sedes vacant, Generali Indulto amplioribus nonnullis instruamus FACULTATIBUS, quò facilius quisque possit Gregem sibi creditum pascere, et gubernare.

Haud difficile fuit Nobis agnoscere, quàm aequa esset hujusmodi petitio, huic nimirum temporum acerbitati conveniens, quàm digna Sacris Praesulibus, qui sui muneris partes et probè agnoscunt, et pro viribus implere contendunt, quique in praefatarum litterarum fine testimonium reddunt obsequii, quod Gallicanae Ecclesiae profitentur erga Sedis Apostolicae auctoritatem per eas *declarationes*, quarum duas hic exscribimus.

Prima declaratio est, *nullam ex Facultatibus per Sedem Apostolicam concedendis a se, vel a Subdelegatis exercendam esse absque praevia de-*

claratione in ipso actus tenore inserenda, nimirum = se virtute potestatis ab Apostolica Sede delegatae procedere, notata ipsa concessionis die =.

Altera vero, *Se stricte observaturos decreta, et ordinationes Summorum Pontificum, Conciliorum, consuetudines Ecclesiae Romanae erga Gallicanam Ecclesiam in concedendis Dispensationibus, Censuris tollendis, et in aliis quibuscumque Actibus Indultorum virtute factis.*

Itaque de consilio selectae Ven. Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Congregationis coram Nobis habitae *die 19. Januarii* proximè praeteriti, Fraternitatibus Vestris, Vobisque, Dilecti Filii Dioecesium Administratores, concedimus per praesentes litteras FACULTATES *pro tempore et modo in adnexo Indulto Generali exprimendis*, denuo declarantes, per novam hanc Facultatum concessionem nullum praejudicium irrogatum iri juribus in praecedenti Indulto reservatis, si quae sint, quibusque fruantur Sedes aliquae Episcopales super alias.

Caeteroquin confortamini, Ven. Fratres, in Domino, et in potentia virtutis ejus, atque induti armaturam Dei adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, certate, ut coepistis, tamquam strenui Milites Christi. Neque enim alio magis, quam tribulationis tempore, oportet Sacros Antistites solidam illam Christianam virtutem, et Sacerdotalem praeferre constantiam, qua juxta monitum Apostoli instructi esse debent, *ut potentes sint exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere*. A Nobis autem cuncta tum Pontificiae auctoritatis praesidia, tum paternae benevolentiae testimonia semper expectate, quorum interim pignus Vobis, Dilecti Filii Nostri, Ven. Fratres, ac Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. *Datum Romae apud S. Petrum die decimanona Martii* MDCCXCII. *Pontificatus Nostri Anno Decimo Octavo.*

PIUS QUI SUPRA

FA-

Digitized by Google

FACULTATES CONCESSAE

AB APOSTOLICA SEDE

SINGULIS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS,

ac Dioecesium Administratoribus

REGNI GALLIARUM

Communionem, et gratiam SEDIS APOSTOLICAE habentibus.

1. ABsolvendi ab omnibus Casibus Sedi Apostolicae quomodolibet reservatis, ac praesertim absolvendi ab omnibus Ecclesiasticis Censuris quoscumque Laicos et Ecclesiasticos, tàm Saeculares, quàm Regulares utriusque Sexus, atque eos etiam, qui Shisinati adhaeserunt, et juramentum Civicum emiserunt, in eoque persriterunt ultra quadraginta dies in Apostolicis Litteris *diei* 13. *Aprilis* superioris Anni pro incurrenda *Suspensione a Divinis* praefinitos, dummodo tamen, seu postquàm publicè, et palam idem juramentum retractaverint, et Fidelium scandalum reparaverint eo meliori modo, quo fieri poterit.

2. Dispensandi Promovendos ad Ordines tam Minores quàm Sacros, aut iisdem Ordinibus jam initiatos *super Irregularitatibus* quoquomodo incursis, et etiam ab illa, quam incurrerunt Violatores Suspensionis latae per easdem Apostolicas Litteras *diei* 13. *Aprilis*, dummodo isti, antequam dispensentur, juramentum Civicum purè, et simpliciter emissum publicè, et palam retractent; exceptis tamen Irregularitatibus, quae proveniunt ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario; et in his etiam duobus casibus conceditur facultas dispensandi, si praecisa necessitas proborum Operariorum ibi fuerit, dummodo tamen quoad homicidium voluntarium ex hujusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

3. Dispensandi, et commutandi *Vota simplicia* etiam castitatis ex rationabili causa in alia pia Opera, idque erga Virorum, ac Mulierum Congregationes, quarum membra his vinculis constringerentur, non tamen Votum Religionis.

4. Dispensandi in Matrimoniis contractis, et contrahendis *super impedimento publicae honestatis* justis ex Sponsalibus proveniente.

Dispensandi super impedimento *Criminis*, neutro tamen Conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

Dispensandi in impedimentis *Cognationis Spiritualis*, praeter quam inter levantem, et levatum.

Dis-

Digitized by Google

Dispensandi in 3. et 4. gradu *Consanguinitatis*, et *Affinitatis* simplici, et mixto, non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus in Matrimoniis tam contractis, quàm contrahendis.

Dispensandi etiam in secundo simplici, et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum tam in contractis, quàm in contrahendis non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus.

Omnes verò dispensationes Matrimoniales non concedantur nisi cum clausula = *Dummodo Mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate Raptoris non existat* =: Ipsi autem sive Archiepiscopi, sive Episcopi, sive Dioecesium Administratores (gravissimè singulorum conscientiâ onerata) omnes, et singulas dispensationes Matrimoniales a se concessas, et concedendas referre teneantur in *Regestrum* authenticum apud ipsos accuratè, et occultè servandum, et cum inscriptione Nominum Dispensandorum.

5. Dispensandi *a defectu aetatis* trium Mensium pro Sacris Ordinibus suscipiendis; salvis tamen Indultis dispensandi super defectu aetatis tredecim mensium jam concessis ab Apostolica Sede nonnullis Episcopis, et Dioecesium Administratoribus.

6. Conferendi Ordines *extra tempora* in casu utilitatis, vel necessitatis, si de Episcopis sermo sit: et dispensandi pro recipiendis Ordinibus *extra tempora*, si de Administratoribus Dioecesium, Sede vacante, agatur.

7. Disponendi *in Beneficiis* Parochialibus, aliisque Titulis Ecclesiasticis, quibus adnexa est Cura Animarum, in gratiam Presbyterorum Saecularium, vel Regularium cujuscumque Instituti non habita ratione Saecularitatis, vel Regularitatis hujusmodi Titulorum, in defectu tamen Presbyterorum Saecularium, quibus praefata Beneficia Saecularia, vel Presbyterorum Regularium, quibus Beneficia Regularia conferantur: item conferendi eadem Beneficia, nonobstante *Regula mensium*, et *usu alternandi* pro illis Dioecesibus, in quibus praedicta Regula mensium, et praefatus usus alternandi observatur.

8. Concedendi *facultatem* Religiosis cujuscumque Ordinis, aut Congregationis in aliud Institutum transeundi, quamvis Regula in hoc vigens minus foret austera quàm in eo, in quo professionem emiserunt.

9. Concedendi *licentiam* Regularibus exemptis, vel non exemptis cujuscumque Ordinis, et Instituti, qui extra Conventum vivere, et Regularem habitum dimittere coacti sunt, induendi vestes saeculares, Ecclesiastico tamen Viro convenientes, ac permanendi in eo habitu sub obedientia Ordinarii, quatenus Superiores Regulares non adsint, aut nulla uti possint in suos Subditos jurisdictione, firma tamen remanente solemnium Votorum obligatione.

Prae-

Digitized by Google

10. Praesidendi *Electionibus*, easdem confirmandi, dandi obedientias, et generatim in domibus Puellarum directioni Regularium subjectarum omnia obeundi munia Superiorum immediatorum, quotiescumque iidem absentes erunt, aut impediti, vel in providendo negligentes officio deerunt, itaut procedant *tamquam Sedis Apostolicae Delegati*, salvo tamen jure, quod juxta Canonicas Sanctiones in easdem Domos, sive Personas quocumque ex titulo jam habere noscuntur : pariter iisdem tamquam Sedis Apostolicae Delegatis datur facultas concedendi immunitatem Religiosis utriusque sexus etiam exemptis, tum omnibus collective, tum speciatim singulis, ab ea Regularum aut Constitutionum parte observanda, quam in praesenti rerum statu absque gravi incommodo observare nequeunt.

11. *In articulo mortis Indulgentiam plenariam impertiendi* juxta formulam a Benedicto XIV. praescriptam in sua Constitutione data *die 7. Mentis Aprilis* 1747.

12. *Renovandi*, *et prorogandi* Indulgentias a Summis Pontificibus Religiosis domibus, et Congregationibus ad tempus concessas, prout postulabit rerum, vel temporum necessitas; item *transferendi* omnes, et quascumque Indulgentias concessas, et assignatas quovis titulo Ecclesiis Cathedralibus, aut Parochialibus, quas invasere Pseudo-Pastores, ad illas Ecclesias, in quibus Catholici conveniunt Divinum Officium celebraturi.

13. *Communicandi* praedictas facultates, non tamen illas, quae requirunt Ordinem Episcopalem, in totum, vel in parte, prout secundum eorum conscientiam judicaverint, Sacerdotibus idoneis tam pro omnibus locis, quàm pro aliquibus suarum Dioecesium, et ad tempus ipsis benevisum, prout magis in Domino expedire judicaverint; nec non easdem, quatenus opus fuerit, *revocandi*, sive etiam *moderandi* tam circa illarum usum, quàm circa loca, et tempus easdem exercendi.

14. Potestatem *subdelegandi* simplicibus Presbyteris Facultates non requirentes Ordinem Episcopalem, quae Galliarum Archiepiscopis, et Episcopis concessae fuerunt per Indultum Generale *diei* 10. *mensis Maii* superioris Anni: Archiepiscopis verò Parisiensi, et Lugdunensi, atque antiquioribus Episcopis cujusque Provinciae Regni Galliarum potestatem subdelegandi etiam Facultates illas, quae juxta resolutiones *diei* 18. *mensis Augusti*, speciatim iisdem concessae fuerunt *die* 26. *Septembris* proxime praeteriti. Hae autem Facultates prorogantur ad tempus hujus Indulti.

Omnes verò praedictae Facultates conceduntur *ad Annum* ab hac die incipientem, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit.

Con-

Conceduntur praeterea *ea lege*, ut nullo pacto eis liceat iisdem uti extra fines suae Dioecesis, neque in Locis Dominio Regis Christianissimi non subjectis.

Demum conceduntur *sub ea conditione*, ut Archiepiscopi, Episcopi, ac Dioecesium Administratores in exercitio cujuscumque ex commemoratis Facultatibus expresse declarent, illas ab ipsis concedi *tamquam a Sedis Apostolicae Delegatis*; quae declaratio in ipso actus tenore inserenda erit.

Digitized by Google